



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 60. Quid addendum sit circa omissionem partium in Missa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

Si advertas post *lavabo*, perge, neque enim decet tum abluere nequidem salivâ, cum non censetur macula.

413. §. 2. Post Missam non lavare manus, nequidem veniale est, *Quarti* p. 2. t. 1. dub. 4. Et quamvis Rubrica dicat Missam ante lotionem manuum esse prævidendam, nullum peccatum est id non facere, *Löhner* p. 2. t. 1. q. 3.

414. §. 3. An & quanta sit obligatio orandi matutinum ante Missam, dictum est n. 30. Preces autem reliquæ ante Missam, quæ in Missali dicuntur *Præparatio*, non cadunt sub ullum præceptum, nam signantur dicendæ, *pro opportunitate*. *Suar. Castrop. Gav. Aversa* d. 11. f. 12. §. *Septimò*. *Quarti* dub. 4. Idem est de hymno, *Benedicite*, *Laudate*, & aliis precibus post Missam, *Tamb. Quarti, Bonac. De Missa* L. 2. c. 34. addens aliquos earum loco dicere, *Te Deum laudamus*, melius tamen est sequi Rubricam & dicere notas.

415. §. 4. Omittere orationes inter induendum, *Nav. Az. Gav. Sylv. & alii* dicunt esse mortale: *Henriq. Rodriq. Castrop. Avers. Gob. n. 387.* dicunt esse veniale tantum: *Fagund.* dicit fore veniale, nisi earum loco dicantur aliæ preces, quod à quibusdam fieri restatur ipse, & non improbat: *Tamb. De Sacrif. L. 1. c. 7. §. 1. Quarti* dub. 8. *Pasq.* q. 819. nullum in hoc agnoscunt peccatum, quia dicunt se nullum invenire præceptum, putant enim Rubricam tantum esse directivam; sed communis sententia rectè dicit esse veniale.

Q. 60. Quid addendum sit circa omissionem partium in Missa. *R.* Dixi in L. 3. p. 1. à n. 662. quomodo peccetur per omissionem hujus vel illius partis in Missâ audiendâ, quæ multò magis valent

valent de omissionem partis in Missa legenda ,
hinc aliqua hic addi debent.

§. 1. Partes Missæ sunt vel ordinariæ vel non ordinariæ. Ordinariæ sunt, quæ semper dicuntur, uti confessio, oratio, epistola, evangelium, præfatio, canon, pater noster, agnus Dei: Non ordinariæ sunt, quæ non semper dicuntur, uti *Gloria*, orationes secundariæ, *Credo*, pluralitas epistolarum vel sequentiarum, diversitas præfationum vel quorundam intra canonem.

§. 2. Omittere partem ordinariam, per se lo- 417.
quendo, est mortale; excusat tamen sæpe par-
vitas materiæ aut si non sit ritus ob speciale my-
sterium notabilis, hinc omittere Kyrie eleyson
vel tractum non est mortale: Neque si omitta-
tur psalmus *Judica*, etiam supposito, quod sit
pars ordinaria, uti vult *Pasq.* q. 201. contra
Quarti, qui meritò negat, cum non dicatur in
Missa pro defunctis, nec tempore Passionis. Si-
militer veniale tantum est omittere ablutionem
digitorum in Missa aut crucem super aquam,
quia videntur esse non tanti momenti vel my-
sterii, *Quarti*.

§. 3. Omittere in canone quamlibet oratio- 418.
nem aut etiam aliqua tantum verba omittere,
variare vel corrumpere, ita ut mutetur sensus,
est mortale, si autem non immutetur sensus, non
erit mortale, quamvis plura verba omittantur,
v. g. plura nomina Sanctorum, *Fill. Dian. Aversa*
q. 11. s. 12. contra *Nugn.* Quod si verba in cano-
ne sint detrita, nec sciantur memoriter, nec nisi
post longum tempus haberi possit aliud Missa-
le, omittens excusatur, *Pasq.* q. 202. *Verric.* a-
pud *Gob.* in Exp. t. 3. n. 763.

§. 4. Si tot partes ordinariæ omittantur, ut 419.

O 4

simul

simul constituent materiam notabilem, erit mortale, *Pasq.* q. 201. addens satis rigidè q. 202. fore mortale, si omittatur pater noster vel agnus Dei, quia singulæ hæ partes videntur constituere functionem gravem. Similiter putant *Suar.* & *Gob.* n. 746. fore mortale, si quis omittat fractionem hostiæ aut illius cum calice mixtionem, vel signa multa, quæ fieri debent super oblata: item omittere epistolam vel evangelium est mortale, *Gob.* n. 799. Imò si quis omittat solam affusionem aquæ in media Missa, peccat mortaliter, quia illa mixtio singulariter mysteriosa est, utpote significans effusionem sanguinis & aquæ è latere Christi mortui: Hinc *Aversa* §. Quinto putat sine illa ob nullam necessitatem celebrari posse. Etiam mortale est omittere purificationem patenæ & calicis post communionem, *Pasq.* q. 208.

420. §. 5. Est veniale tantum omittere unam è partibus non ordinariis, v. g. *Gloria* vel *Credo*, *Fill. Dian. Lugo* contra *Avers.* §. Sexto, qui putat tum saltem esse mortale, si *Gloria* vel *Credo* omittatur in magna festivitate. Similiter tantum veniale est, si omittatur, *Lauda Sion Salvatorem, victimæ paschali laudes, veni sancte Spiritus, dies ira*, *Gob.* Imò *Quarti* & *Pasq.* q. 200. putant tantum esse veniale, si multæ similes partes non ordinariæ omittantur, quamvis facerent magnam quantitatem, v. g. in quatuor temporibus si omittantur omnia *flectamus genua* cum omnibus secundariis orationibus, secretis & post-communionibus, item cum secundariis epistolis. Quòd si esset causa rationabilis omittendi v. g. nimia fatigatio vel debilitas, nullum foret peccatum, *Pasq.* q. 201. Etiam venialiter tantum peccat,

peccat, qui omittit specialem præfationem, vel in canone speciale *Communicantes* vel hanc igitur, quæ certis tantum diebus leguntur, dummodo legat ordinaria seu communia, *Suar. Fill. Gob. n. 762. Sporer n. 426. contra Avers.* qui putat esse mortale.

§. 6. Si quis principalem orationem omittat uno tantum loco, est tantum veniale: si autem omittat initio, & secretam & post-communionem, *Quarti* putat esse mortale. 421.

§. 7. Omittere aliquas benedictiones, crucces, deosculaciones altaris, inclinationes, genuflexiones, est tantum veniale, cum non sint ritus graves, nisi constituerent simul partem notabilem Missæ: facere autem ea nimis celeriter aut nimis maturè, etiam est tantum veniale, *Pasq. q. 208.* 422.

§. 8. Non uti vino sed solâ aquâ in purificatione est tantum veniale, imò nulum peccatum, si celebrans sit abstemius, qui vinum horreat: Ad secundam autem ablutionem uti solâ aquâ nequidem veniale esse putant *Tamb. Quarti, Gob.* in hac verò non uti aquâ sed solo vino, putat *Lohn.* esse veniale, quia sic præscribit Rubrica; *Gob. n. 853.* negat ob praxin multorum, & quia Rubrica non videtur esse præceptiva circa aquam, quamvis enim præcipiatur purificatio & ablutio, non tamen præcipitur illius modus, *Quarti.* 423.

§. 9. Omittere Evangelium sancti Joannis aut aliud, quod post Missam legitur, est tantum veniale, vel enim non est stricta pars Missæ, vel non est pars ordinaria aut notabilis. 424.

§. 10. Omittere partem notabilem eorum, quæ sunt propria Missæ solennis, est mortale, 425.

quamvis non cantetur ex obligatione, *Pasq. q. 212.* putatque *Fr. Lugo* sacerdotem peccaturum mortaliter, qui in Missa solenni omitteret omnia, quæ à choro & Ministris canuntur, *Card. Lugo & Averf.* putant peccaturum tantum venialiter, *Gob. n. 760. Lohn. p. 2. t. 10. n. 4.* dicunt ad illa saltem teneri, quæ à choro canuntur, v. g. ad *gloria & credo*, quia illa non recitantur ab aliquo, qui ad illud munus sit ordinatus: *Sa & Sanch.* dicunt melius esse, si audiat epistolam & evangelium, quàm si legat, hinc *Tamb. Pelliz. Quarti* ab omni peccato excusant omittentem ea omnia, si, dum canuntur, ad illa attendat, quia de eis recitandis nullum est præceptum, *Pasq. q. 209.* multos citat docentes nullam quidem ad ea dicenda esse obligationem sub peccato, addit tamen difficulter omittenda sine veniali, cum sit usus ea recitandi, ideoque *Gob.* prudenter suadet, ut in his se accomodet consuetudini suæ patriæ vel ecclesiæ.

426. §. 11. Qui prævidet se non posse celebrare nisi omittendo aliquot cæremonias, debet collatâ inter se harum gravitate & causis celebrandi videre, sitne consultius sine his celebrare quàm ob harum defectum Missam omittere, *Suar. Tamb. Gob. n. 743.*

427. §. 12. Qui potest omnia peragere exceptâ elevatione hostiæ & calicis, potest his omissis celebrare privatim, quia defectus ille non est tantus, ut privet jure acquisito ad celebrandum: Non debet tamen celebrare publicè nisi in necessitate & populo admonito, ne murmur in eo vel turbatio oriatur, *Gob. n. 745.*

428. §. 13. *Llamas* negat peccare eum, qui celebrare vult præsciens se non posse recitare illa, quæ

quæ p
cense
judice
tem si
qui ea
nihil
citur
tia au

Q.
mutat
re co
tum,
tio, T
qui d
rem
tendu
747.
ret cu
dicer
rer n.
adde

§.
gloria
am re
riâ :
Sub

753.
cunt

§.
dera
fa, n
inter
nuat
Nav.

§

quæ præcedunt evangelium, quia talis adhuc censetur legere Missam integram: sed de hoc iudicet lector, inquit Gob. n. 763. quidquid autem sit, probabile est, quod dicit Llamas, quia qui ea non audit, quæ præcedunt evangelium, nihilominus Missam audit, ergo etiam verè dicitur legere Missam, qui reliqua legit; impotentia autem excusat à præcedentibus.

Q. 61. Quid dicendum sit de illo, qui addit, commutat vel invertit aliquid in Missa. R. §. 1. Adde- 429.
re collectam ultra præscriptas vix erit peccatum, excusat enim facile causa aliqua vel devotio, Pasq. q. 215. contra Gob. in Exp. t. 3. n. 748. qui dicit sub veniali requiri causam peculiam: Dicere autem gloria aut credo, cum omit- tendum esset, est tantum veniale, Sum. Gob. nu. 747. Excipit Aversa q. 11. l. 12. §. Sexto, nisi fieret cum magna deformitate, uti si alerutrum diceretur in Missa de Requiem. Putat etiam Sporer n. 427. fore mortale, si notabiliter multum adderetur ad Missam.

§. 2. Non peccaret, qui sub longo cantu ad 430.
gloria vel credo modestè oraret vocaliter aut etiam recitaret parvas Horas, quas teneret memoriâ: Quod multò magis valet de Diacono & Subdiacono in solenni Missa, Caj. Tan. Gob. n. 753. contra Tamb. Lohn. p. 2. tit. 10. n. 5. qui dicunt esse veniale, si celebrans faciat.

§. 3. Intermiscere meditationem seu confi- 431.
derationem circa ea, quæ tum geruntur in Missa, nullum est peccatum, quamvis fiat quædam interruptio: quia censetur esse moralis continuatio, cum mens maneat applicata Missæ, Nav. Quarti. V. dicta n. 252.

§. 4. Commutatio voluntaria precum in alias 432.
preces